

his Peretz Comm. in Cod. ad tit. de Malef. & Mathem. n. 5.  
Engel. Colleg. Jur. Can. tit. de Sortileg. n. 11. 12. Hopper. de  
Jur. Art. L. II. cap. 8.

Th. XVII.

Ex moralitate præterea hanc artem Astrologiæ judicaria impugnant, ex eo, quod tales Genethliaci in hoc censeantur delinquere, quod divinam providentiam altissimi Numinis, his sortibus videantur subicere, ejusque consilia, suæ sapientiæ reservata, expiscari velint, quod movet Delrio in *Disquis. Magic. Lib. IV. Cap. 3. qu. I.* & advertit etiam Wagnerneck ad *Decretal. Comment. tit. de sortileg. cap. I. not. 2.* Quanquam ita adhuc discrimen facere velint inter scientiam hujus artis & exercitium; illam permissam, hanc damnabilem esse censent; cum illa ad naturales rerum causas; hæc ad superstiosam curiositatem pertineat. Uti notanter habet Autor *Collationum Leg. Mosaicar. Tit. XV. rubr. de Math. & Manichæis, verb. Præterea interdicta est Mathematicorum callida impostura & obstinata persuasio. Nec hodie primum interdici eis placuit, sed vetus hæc prohibitio est. Denique extat Sctum Pomponio & Ruffo Coss. factum, quo cavetur, ut Mathematicis. Chaldeis, ariolis & cæteris qui similem incertum fecerunt, aqua & igni interdicator, omniaque bona eorum publicentur. Sed fuit quaesitum, utrum scientia hujusmodi hominum puniatur, an exercitium & professio. Et quidem apud veteres dicebatur, professionem eorum, non notitiam esse prohibitam. Postea variatum. Nam dissimulandum est, nonnunquam irrepsisse in usum, ut etiam profiterentur, & publice reprehenderent. Quod quidem magis per contumaciam & temeritatem eorum factum est, qui visi erant vel consulere vel exercere.*

*Ratio moralis cum equilibrio*

Th. XVIII.

Verum si illa in contrarium allata inter se & cum historiis illorum temporum conferimus, deprehendere sane licet; Non omnem ex Astris predicendi notionem rejici;

*Respondetur dubiis cum declaratione.*

C

Sed